

## PRAEFATIO.

cuius causa hæc paterentur incommoda, nossetque  
 qua ea effugere possent ratione, ac Deum habere propi-  
 tium, quam plures ad eos prædicatores ac vitæ ma-  
 gistros misit, viros sanctissimos, ac diuino spiritu lo-  
 cupletes, & prophetiæ dono fulgētes, qui morū splen-  
 dore, & prophetici muneris autoritate, atq; ignitorū  
 verborum robore, modo combinationibꝫ vsq; modo  
 pollicitationibus, ad populum habitis cōcionibus, ho-  
 mines à sceleribꝫ auocatos ad meliorem mentem tra-  
 ducerent. Conciones ex ijs nonnullas, veluti è tot scri-  
 pturarum naufragio erutas, ac incolumes Dei benefi-  
 cro seruatas, inter sacrorum Bibliorum volumina ac-  
 cipimus. Quæ quidem in libro duodecim Prophetarū  
 (quos vulgò minores solemus appellare) continētur:  
 & multiplicibus difficultatibus inuolutæ sunt, quod  
 in eis de rebus & loci & temporis longissima interca-  
 pedine à nobis disiunctis, sermo sit: quod etiam testa-  
 ti sunt viri pietate, ingenij acumine, & eruditiōe præ-  
 stantes, qui commentarijs scriptis, illorū Prophetarū  
 vaticinia illustrare, conati sunt. Sed tanta est ea-  
 rum concionum cum maiestas, tum difficultas, vt nō  
 modo insignia summorum virorum admittat com-  
 mentaria, sed etiā nostra, & cuiusuis qui Propheticoꝝ  
 monumentorū intelligentiæ studiosus extiterit, expo-  
 sitiones nō reiiciat. Contēdi igitur ego neruos meos &  
 qua potui diligentia adnissus sum, vt Vates illi sanctis-  
 simi, apertius quàm hucusque, in ijs cōcionibus loque-  
 rentur, & à lectoribus, nostra, quoad licuit breui enar-  
 ratione adiutis, eorum sensus percipi posset. Cum au-  
 tem commentationes has nostras, vt in lucem prodirent,  
 adornarem, exoptatissimum nuntium, non sine  
 ingenti accepi lætitia, quo certior factus sum, Sacram  
 Catholici Regis nostri Philippi Maiestatem, qua solet  
 vigili cura, & prouidentia Regnis prospicere, & huic  
 maximè, sibi paucis ante diebus à Deo concesso, eadē  
 Bracharensi Ecclesiæ consulens, illius te Archiepiscopum